et ad captum de nobis bene merendi studium magis etiam libera-
litate n(ost)ra cupien(te)s accendere adducti ultro ipsi a nobis diuq(ue). Ut
ipsi faceremus p(otes)tatem redimendarum villarum n(ost)rarum N et N et
emancipandarum de manibus heredum Gen(er)osi N idq(ue) literis nostris
hisce facimus p(otes)tatemq(ue) damus villas n(ost)ras supramemoratas redi-
mendi. Quas sicuti Generosus est redemptas habebit, possidebit
uteturq(ue) et fruetur illis ad extrema usq(ue) vitae suae tempora. Neq(ue)
enim eo quispiam illarum villarum possessione et usufructu supramemo-
ratarum N. quoad vixerit privare poterit, nobis solis exceptis si ad
usum n(ost)rum proprium pecuniaq(ue) propria eas villas voluerimus redi-
mere id enim nobis integrum reservamus. Quod si eas villas
ad usum n(ost)rum proprium pecuniaq(ue) propria de manibus eius redem-
ptas alij cuipiam homini N vivente oppignorare seu obligare
aut locare aliove quovis m(od)o possiden(das) tradere voluerimus liberum
erit ei ea pecuniaria summa pro qua villae n(ost)rae p(rae)fatae fuerint per
nos cuipiam vel obligatae vel locatae, vel alio quovis modo possi-
dendae traditae de manibus eius a quo forte possidebuntur redi-
mere usq(ue) utifrui cum omni iure dominio et proprietate ad ex-
trema usq(ue) vitae suae tempora. Non obstantibus contrarijs lit(er)is
si quae forte ex Cancellaria n(ost)ra his posteriores fuerint editae eas
enim irritas nullasq(ue) esse volumus foreq(ue) decernimus. Eoq(ue) mortuo
nos successoribus eius ea pecuniaria summa numerata et soluta quarta
villae n(ost)rae N et N per eum de manibus Generosi N successorum
fuerint redemptae poterimus pro nobis villas n(ost)ras supramemoratas
iure nostro occupare iuribus nostris perpetuo in eisdem villis
manentibus salvis. In cuius rei fidem sigillum etc.

## Consensus sine aduitalitate

Significamus etc. Tandem apud nos partes et flagitationem
eorum qui nobis Generosum N. commendaverunt valere et
facere non potuerimus quin ipsi Advocatiae seu sculteti(ae) in
villa N de manibus Honestorum N et N. eorumve posterorum
ad usum suum redimen(di) p(otes)tatem faceremus uti quidem iam lit(er)is
nostris hisce facimus volumusq(ue) hoc ei esse liberum ut sculte-
tiam seu Advocatiam supramemorat(am) summa non aucta sed tan-
ta quanta in literis originalibus expressa continetur vel
alioquin iuxta eorum aestimationem redimat, redemptamq(ue) tam-
diu habere tenere et possidere ac omnibus eius commodis
et fructibus iuxta literas originales uti ac frui possit quam-
diu illi summa in redemptione expensa per nos non erit nume-
rata. Quod si forte etiam cuipiam alteri antehac ius ali-
quod super eandem Advocatiam seu scultetiam dederimus
ipse vero huiusq(ue) usus non esset illud qualecunq(ue) sit tollimus
abrogamus ac nullius roboris esse iam ex nunc decernimus. Tandem

id quo is ipse cui dederimus abutatur. Cum autem pecunia in redemptionem expensa Generoso [illegible] vel eius successoribus per nos vel aliquem alium voluntate nostra erit numerata. Tunc Advoc. seu Scultet. supramemorata potius ad nos pleno iure redibit iuribus interim nostris manentibus salvis

## Confirmatio constitutionum

Notum facimus etc. Quod nos societatem seu contubernium Dolatorum supplicibus eorum precibus adducti ita ut per Famatos Procons. et Consul. Civitat. nostrae [illegible] institutum est constitutionesque ei ipsi societati per dictum Magistratum latas approbandas et confirmandas duximus approbamusque et confirmamus praesentibus literis nostris decernendo eis in omnibus earum articulis punctis et clausulis debitae firmitatis robur esse habituras salva tamen Regiae [illegible] legitima et maioribus nostris nobisque ipsis data [illegible]

## Consensus super resignationem Subdapiferatus

Significamus etc. Supplicasse nobis Generosum [illegible] Dapiferum [illegible] ut cum eum ipsum Subdapiferatum Generoso [illegible] fratri suo germano Aulico nostro concedere et resignare statuerit consensum ad eam rem nostrum praeberemus. Cum autem is ipse Generosus [illegible] Aulicam operam annos iam aliquot navaverit facile adducti sumus ut eam resignationem fieri permitteremus permittimusque his literis nostris. Tum Supramemoratum [illegible] Subdapiferum esse quamdiu vivet vel quamdiu maiorem dignitatem non erit assecutus volumus quod omnibus Palatinis Castellanis aliisque quorum interest nominatim vero Terrae [illegible] pro vero et legitimo Subdapifero [illegible] habeant et teneant eique de omnibus ad hoc munus pertinentibus respondeant respondereque curent.

## Coadiutoria

Notum facimus etc. Dignum nobis semper visum esse Venerabilem [illegible] Praepositum [illegible] Secretarium nostrum quem et propter veterem familiae splendorem et propter eruditionem atque in rebus agendis industriam virtutesque quibus est praeditus singulares et propter summae fidei ac observantiae plena in divum parentem nostrum in nos ipsos ac Rempub. merita in aliquo excelso dignitatis gradu collocatum in Senatorum nostrorum numerum referremus. Nunc itaque cum Reverendus in Christo Pater Dominus Benedictus Izbienski Epus Posnanien. de eodem seu coadiutore asciscendo atque adoptando dicitur cogitare. Nos ut hoc ipsum coadiutoris ius voluntati nostrae adiiciatur